

Paul Tarnow

**De Sacrosancto Ministerio Verbi Divini Et Sacramentorum In Ecclesia Recte
Suscipiendo Sustinendoque, Commonefactio pia & necessaria: In Qua De
Vocatione Ministrorum, Vocantium Affectu, vocandorum requisitis, vocatorum
fine & officio, eiusque partibus legitime obeundis, breviter differitur**

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Pedanus: Hallervordius, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737582731>

Druck Freier  Zugang




Scripta à



P. Tarnovius.

R. U. theol. 1617.



DE SACROSANCTO
MINISTERIO
VERBI DIVINI ET
SACRAMENTORUM IN
ECCLESIA RECTE SUSCIPiendo
SUSTINENDOQUE,

Commonefactio pia & necessaria:

IN QUA

DE VOCATIONE MINI-
STRORUM, VOCANTIUM AFFECTU,
vocandorum requisitis, vocatorum fine & officio,
ejusque partibus legitime obeundis,
breuiter differitur:

SCRIPTA à


PAVLO TARNOVIO, SS.

Theologiae D. & Professore, in Academia
Rostochiensis.



ROSTOCHI

Typis exscripta JOACHIMI PEDANI, sumptu Joh.
Hallervordi bibliop. Rostoch. Anno 1617.



Reverendis, CL. & doctiss. viris, Dominis Superintendentibus in ducatu Megapolitano vigilantissimis,

DN. D. LUCÆ BACMEISTERO, Gustrowiensi,
M. JOHANNI NEOCORO, Suerimensi,
M. NICOLAO SIEGFRIDO, Wismariensi,
M. ANDRÆ SCHLUSSELBURGIO, Neobrand.
M. JOACHIMO WESTPHALO, Rostochiensi,
eorumq; symmysis & collegis fidelissimis, amicis & fratribus meis in Domino conjunctis, atq; pl.
honorandis,

Gratiam & pacem à Domino precor.

D. Aurelium Augustinum, presbyterum jam electum & ordinatum ab episcopo Valerio, patre suo in conspectu Domini sincera charitate charissimo, ante omnia petere meministi, ut cogitet religiosa ejus prudentia, nihil esse in hac vita, & maxime isto tempore facilius & latius & hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, si persunctorie atq; adulatorie res agatur: sed nihil apud DEum miserius & tristius & damnabilius: nihilitem esse in hac vita & maxime isto tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, sed apud DEUM nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia sua se didicisse ibidem profitetur: & eo tempore, quo discere ceperat, vim sibi ait factam, merito peccatorum suorum (quod multorum peccata nautarum, ut loquitur, antequam expertus esset, quid in presbyterio agatur, quasi doctior & melior reprehendere ausus sit) ut secundus locus gubernaculorum sibi tradere.

147.



Har, qui remum tenere non potuerit. Proinde ut posset in san-
ctis libris conscripta consilia discere, quibus cognitis & appre-
hensis queat homo DE rebus ecclesiasticis ordinatoribus mini-
strare, aut certè inter manus iniquorum vel vivere conscientia
saniore, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni Christiana
corda humilia & mansueta suspirant, parui temporis otium ad
hoc negotium sibi indulgeri exoptabat, in quo presendo, quarendo,
pulsando; id est, orando, legendo, plangendo, assequeretur, quod
se jam in presbyterio constitutum non habere cognovit. Non
omnino dissimilia esse eorum vota arbitror, qui vel ex studiosa
juventute ad ministerium legitime suscipiendam & fructuose in
ecclesia sustinendum se parant, vel in eo jam versantur, & multo
valde multo amplius (ut idem August. loquitur) animi
sui vulnus experiuntur, quam putaverant. Utrisque, ut pro mo-
dulo meo subvenirem & inservirem, non solum antebac de eo
argumento copiose ad utilitatem theologie studiosorum in schola
differui, sed etiam nuperrime de eodem in templo, quando Reve-
rendiss. & Illustriss. Principis ac Domini, Dn. U DALRICI, Cancel-
arij hujus academiae Magnificentiss. Domini mei Clementiss. partes
mihi gratiose demandata erant, in gratiam & illorum, & alio-
rum, qui me ista docentem non audiverunt, breviter & compen-
diosè agere sum conatus. quàm magno fructu & quàm felici suc-
cessu, non possum dicere: siquidem laborant homines in discendo,
& breviter non valent intelligere, proluxa non amant legere: & la-
borant itidem in docendo, qui & pauca tardis & multa pigris
frustra ingerunt, teste eodem Augustino: sed tamè, cum ex ijs, quot-
quot eodem die mihi aderant ex reverendo hujus urbis ministe-
rio intellexerim, adeò sibi placuisse meam illam scriptumculam,
ut sui, quod agebant, informandi excitandiq. gratia eam publica-
ri cuperent; quod in magna audientium turba cum aliquo fructu
dictum intelligebam, id cum majori ad plures typis descriptum.
divulgaturque perventurum non planè diffidebam.


Vestri sit iudicij, Reverendi, CL. praestantiss. & doctiss. viri, amici
& fratres in Domino colendi, an quem volui, scopum attigerim,
dirigendo juventutem, ut omissis non necessarijs id unum conse-
ctetur, cujus usus est in officio ecclesiastico maximus, & admo-
nendo alios, ut, quam nacti sunt spartam, eam fideliter exornent.
Quod si quis alicubi me aberrasse existimet, eum rogatum volo, ut
erranti comiter monstret viam, & lumen de lumine suo mihi ac-
cendat, me enim inter eos lubetissime profiteor, qui docedo discunt,
& discedo proficere laborant. Vos vero, qua estis in DEum fide & in
homines benevolentia & charitate, id, me non monente, sedulo ope-
ram dabit, ut que vera, que recta, que salutaria novissis, ea-
dem pro viribus urgere non desistatis, per ejus gratiam, à quo
est omne bonum & universalis laborum nostrorum benedictio: cui
vos omnes & singulos commendo. Bene & feliciter in Christo
valete. Rostochij, 6. Octobris, 1616.

VESTER in Domino fra-
ter conjunctiss.

Paulus Tarnovius.



Cogi-



Ogitanti mihi, quidnam huic amplissimo conventui non ingratum, huic tempori, loco & rei, cujus peragenda gratia convenimus, aptum, sacrarumq; literarum studioſis, quorum profectui augendo omnis noſtra theologorum inferuire debet industria, utile argumentum ad dicendum ſumerem; nullum aliud, quàm de ſacroſancti miniſterij rectè ſuſcipiendi ſuſtinendique ratione viſum eſt accommodatius. neminem enim in hoc omnium ordinum & aratum concurſu eſſe arbitror, qui non, modò ſuæ ſalutis ulla tangatur cura, cui eam commiſſam à D E O credit, eundem ſui muneris partes omnes probè tenere, eaſque fideliter obire in votis maximè habeat. Hodiernus verò dies cum inaugurationi deſtinatus ſit illius, quem ſimul juventuti ſcholæſticæ informandæ, & ſaluti eccleſiæ curandæ præeſſe novimus: & hic locus miniſtrorum eccleſiæ potius quàm doctorum academiæ operis ſervire ſoleat; denique publicum eruditionis & virtutis teſtimoniùm idcirco tribuatur, ut de ejus aptitudine ad utrumque officiorum genus, quod plurimorum ſalutem curat, & quod pauciorum ſtudia ad hunc finem dirigit, qui illud publica auctoritate ſibi impertiri à nobis petijt, palàm conſtet; idemque ad fidelitatem in eo, ad quod vocatus eſt, præſtandam magis magisque inſtammetur; præ ceteris hoc argumentum de numero plurimorum ſeligere placuit, ex quo non minus cognoscere queat ſacris theologiæ ſtudijs dedita juventus, ad quid diſcendum omnes ſui ingenij & indiſtriæ nervos convertere, quàm miniſterio ſacroſancto jam initiati, in quo omnem ſuam operam rectè occupare debeant. Fontem inexhauſtum omnis veræ ſapientiæ & ſalutaris eloquentiæ humillimis veneror votis ac

precibus, ut mihi rem non minus arduam quam necessariam & utilem aggressuro potenti sua adsit gratia, & virtutē suam in infirmitate mea benignē perficiat. Vos verò, Magnifice Dn. Prorektor, Illustriss. Megapoleos Principum & Senatus hujus urbis aliarum, que legati nobiliss. & ampliss. hospites longē digniss. & pl. honorandi, Reverendi, Consultissimi, clarissimi & doctissimi viri, tuque nobilissimorum, & ornatissimorum juvenū corona, vos, inquam, obtestor, ut qua benevolentia & æquanimitate erga alios, eadem erga me quoque utamini. Nunc ut explicationis meæ series tanto sit dilucidior, placet eandem viam tenere, quam omnes fideles ministros insistere oportet, qui & suæ conscientia & auditorum saluti recte consultum volunt. primo enim legitimè vocatum esse oportet, qui bonus & salutaris futurus est ecclesie minister: deinde cognitum & perspectum habere, ad quid vocetur: denique, quibus medijs hunc finem assequatur, eorum peritum & sedulum esse convenit. Vocatio alia exterior, alia interior dicitur: illa an sit legitima illegitima, ex vocantium affectibus & studijs: hæc verò ex vocandorum donis dijudicari potest. Vocantium affectum legitimum appellamus, pietatem & studium propagandi gloriam DEI & procurandi salutem hominum: à quo longissimè declinant, qui vel cognatione, vel affinitate sive conciliata sive concilianda, vel amicitia & amore quodam peculiari erga vocandum ejusque commoda promovenda ducuntur. Huc referri potest, quod ab Hieronymo & Augustino, ex varietate vocantium, de quadruplici vocatorum genere memoriae proditum legitimus: quorum primi sunt, quos solus DEUS occulto quodam afflatu aut visione quadam ei conjuncta impellit, ut Moisen & prophetas in V. T. apostolos in Novo: de quo genere quia hodie nec præceptum nec promissionem habemus, & institutum nostrum tantummodo de mediata vocatione agit, nobis hoc loco sermo non est: secundi, quos soli homines vocant, sive favore quodam abrepti, sive muneribus corrupti: tertij, quos DEUS per homines rectè intelligentes & dextrè judicantes eligit: ultimi, quos neque DEUS neque homines vocant, sed semetipsos nemine mittente ingerunt, & honorem ministerij, quem non accipere, nisi delatum,

latum, debebant, suo ipsorum arbitrio sumunt: quod genus ubi
apud nos hodie rarissimum est, ita tertio locum tantummodo
esse in ecclesia optandum est: qui diversa ratione, quam in se-
cundo genere attigimus, ad hoc sacrosanctum munus pervene-
runt, videant, ne simile quid isti aliquando audiant, quod temerè in-
gerenti se in convivarum cœlestium numerum, dicebat Domi-
nus, Amice quomodo huc intrasti non legitime intromissus?
qui verò non legitime intromitti quenkam curant, aut ipsi et-
iam intromittunt, in eos quadrabit, quod idem Salvator noster
Pilato dicebat, Majus peccatum habet, qui me tibi tradidit. Vo-
candorum æquè magna est diversitas. cum enim ex facultate,
& voluntate ministrandi ecclesiæ omnis eorum spectanda sit vel
idoneitas vel ineptitudo, alij reperiuntur, qui neque volunt,
neque possunt: alij, qui & volunt & possunt: alij, qui volunt, sed
non possunt: alij denique qui nolunt, licet possint. inter hæc
quatuor genera duo tantum censenda sunt idonea: unum, quod
potest & vult; alterum, quod potest quidem, sed non vult: cujus
dissentui & reluctationi conveniens adhiberi necesse est reme-
dium, quale divinitus imprimis optari potest, & humanus et-
iam utiliter adhiberi solet, ut in Nazianzeno, Chrysostomo, Mar-
tino episcopo, alijsq; factum novimus. Hujus, de qua agimus,
legitimæ vocationis interioris & exterioris necessitatem quisquis
non agnoscit, sed parè ejus putat rationem, qui vel à DEO per ho-
mines, vel per homines solos absque DEO mittitur, neque suf-
ficiènti facultate, neque prompta voluntate donatus; is & ratio-
ne & experientia, quæ stultorum magistra vulgò dici solet, re-
fellitur. Ratio ostendit, nullum nè quidem vilissimum. mechani-
corum officium rectè administrari posse ab eo, qui non tacito na-
turæ sensu ad illud amandum sectandumque divinitus trahitur.
Da mihi, qui sartoriam, furoriam, tonforiam, lanificium, linifi-
cium, ullamve aliam artem feliciter traher, ad quam discendam
exercendamque omni ingenij animique impetu non impellitur.
ista abjecta & servilia, eademque faciliora, si nemo feliciter tra-
hret, nisi qui ad ipsa se divinitus destinatum esse ex naturæ instin-
ctû exploratum habet: quantò minus hoc tam sublime & arduum
munus ab ullo rectè sustinebitur, qui neque ad id divinitus desti-
natus, neque legitimis hominum suffragijs electus, neque ejus-
dem.

dem amore inflammatus, neque rebus ad illud apprimè necessa-
rijs est instructus? Vasa quæcunque ad tabernaculi Mosaici u-
sum sacrum adhibebantur, oleo inungebantur: ut separatio eo-
rundem à profanis, & destinatio ad cultum divinum omnibus
palàm fieret: quantò minus homines, qui templo DEI vivo ex-
struendo adhiberi debent, omni oleo & instructione divina va-
cuos, sat aptos tam sacrosancto muneri fore quisquam confidat?
De successu talium, per fas nefasve ordini sacro se ingerentiù, aut
favore humano evectorum notum est, quod passim multorum
sermonibus celebratur: Qualis vocatio, talis successus: cujus
dicti veritatem comprobat universa omnium temporum histo-
ria, & nisi odiosum esset, exemplorum permagna proh dolor
copia ex nostra patrumq; memoria depromi posset. Sed
in re manifesta non opus arbitramur documentis: cum quæ pas-
sim plerisque ecclesijs damnosa incumbit calamitas, ab hoc uno
fonte dimanarit, quod non, qui idonei præ ceteris, sed qui po-
tentibus, quacunq; de causa, charj, ad earum gubernacula admo-
ventur. Durum hoc videbitur nonnullis, qui se tangi pu-
tant: mihi verò neminem innocentem attingere animus est, imò
ne nocentium quenquam vel levi brachio perstringere: sed quod
licuit, semperque licebit, parcere personis, dicere de vitijs. Si
quis autem se extra eos positum, ad quos oratio mea accommo-
dari potest, & planè immunem existimat, is ne lapidem iracun-
diæ & vindictæ, quo percutiar, tollat, sed directè ad finem legitimæ
vocationis, de qua gloriatur, non aliò, quod pleriq; faciunt, labo-
res omnes à se destinari demonstrat. quis verò ille sit, paulo post
aperire conabor, si quid maxima pars sibi propositum habeat,
ante exposuero. D. Apostolus de doctoribus sui temporis, quod
tamen aureum præ hoc ferreo meritissimè censendum est, asse-
verat, Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi.
Id an rectè factum, quæ temeritas est nostrorum hominum, non
nemo dubitabit. si enim omnes citra discrimen eo modo erga
ecclesiam, suumque in ea munus exsequendum fuerunt affecti;
etiam Paulus inter eos necessariò fuit. hoc verò cum sit absur-
dum, etiam illud absurditate non carebit, unde hoc sequitur.
Sed ad hunc nodum Gordium non opus est Alexandri gladio.
de

De apostolo enim contrarium clamat universa ejus vitæ historia, in eo libro, quem actorum apostolicorum nomine indiget ecclesia, luculenter perscripta: à qua non abludit circa finem edita clausula, in qua de se, cum jam erat morti proximus, prædicare non dubitat, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quid igitur sibi vult, cum omnes accusat, & se tamen cum reliquis apostolis alijsque fidelibus non includit? hoc nimirum, ut mea fert sententia, tantam fuisse eo tempore raritatem verè fidelium & sui officij satagentium, ut omnes in universum, propter multitudinem & copiam ministrorum infidelium, à recto tramite declinasse viderentur. Quod si quis idem nunc dicat, id quod multò probabilius fieri posse verisimile est, is mendacij calumniaeque dicam sibi scribi protinus deprehendet à qua, quò quisque est modestiæ amantiore & pacis atque concordiae cum alijs servandæ studiosior, eò longius se remotum esse volet. Ineamus itaque aliam viam, & tentemus, numquid mores publici, quod metuimus de plerisque, tanquam externi testes internæ animorum constitutionis, illud, quod est in dubio, confirment an refellant. Eos si consideres, quotusquisq; hodie invenietur, cui munus ecclesiasticum defertur, qui non primò omnium de proventibus suæ parochiæ, ad quam vocatur, sollicitus, quàm magni & ampli illi sint, inquirat, & pro quantitate illorum omne suum studium & desiderium eidem inserviendi attemperet: si magni, si parvi, si mediocres illi, parem in se quoq; & æqualem sentit promptitudinem. tolle eos in universum, aut ademptos statue, ut olim apostolo, qui suis manibus laborans sibi victum parabat, ut gratuito ecclesiæ inserviret, vel ita attenuatos esse puta, ut vix inde quis habeat, quò se cum suis sustentet, ilico universum imminutum, imò extinctum deprehendes desiderium, quod antea in tam multis putabas esse ardentissimum & constantissimum. hoc cum tam liquidò pateat, quàm liquidus est, in quo spiritum haurimus, aer, ecquis dubitet, an huic quoque tempori congruat, quod de suo verè dicebat apostolus, Omnes quarunt, quæ sua sunt, non quæ Christi. Superest verò etiam aliud, ex quo idem confirmari potest, nec minus evidenter, quàm ex eo, de quo modò

B

dixi:

dixi: illud à studijs & laboribus, quibus maxima pars ministro-
rum verbi occupatur, peti poterit. Considera plerosque
omnes, qui huic sacrosancto ordini sunt ascripti, & præ ceteris
de vulgo apparent seduli, non ignavia, helluatiōni, alijsne fla-
gitijs mancipati: ad quorum studia & in stituta diligenter at-
tenderis, minimam eorum partem in meditationibus, quæ co-
natus docendi vera, refutandi falsa, incitandi ad pia & honesta,
revocandi à contrarijs, terrendi securos, consolandi afflictos re-
quirit, occupatam animadvertes: sed vel in officiosis locuple-
tiorum salutationibus, vel in fructuosis eorum, quæ ex hortis,
agris, alijsque possessionibus suis perceperunt collocaationibus,
& ut verbo dicam, in re familiari acquirenda atque augenda.
De hisce verò omnibus, æquis merito dubitet, an vita & actionum
suarum parte maxima veritatem dicti Apostolici de omnibus,
quod sua quarant, non quæ Christi, luculentissimè comprobent.
Requireret hoc loco non nemo, in quo ab hisce vulgaribus & gro-
galibus ministris Paulus discrepavit. Sanè in eo ipso, in quo
Petrum Salvator pascendo gregi iterum præfecturam differre ab
alijs volebat, quos ad hanc curam non destinaret: id verò exi-
mius est Christi, ejusque ecclesie edificandæ amplificandæque
amor, quem ternis vicibus ab eo exigebat, & quo se tantopere
inflammatum ostendit, ut nulli præ eo labores in vita sibi putã-
rit graves, omnes in docenda instruendaque ecclesia leves, de-
nique mors ipsa, quantumvis per se acerba, dulcis visa fuerit.
Eundem priori sua epistola commendavit omnibus symystris
suis & successoribus, quos neque coactos, neque ulla spe com-
modi aut honoris ductos, sed prompta Christo ejusque ecclesie
inserviendi voluntate huic muneri incumbere jubet. Idem
Christi amor eluxit in Paulo, quem neque internæ tentationes
& Sathanz jacula, neque externæ adversitates & mundi perfec-
tiones à sedula demandati muneris cura avertere potuerunt:
sed sollicitudo de omnibus ecclesijs exercuit, minimi cujusque
in eis offensus perturbavit. Simile studium reliquorum
omniam apostolorum fuit, etsi dispar forte donum: argumento
est commune gaudium, quod ostenderunt, cum publicè igno-
minia & flagris pro Christi gloria & Ecclesie adificatione erant
affecti.

affecti. Hoc desiderium inserviendi ecclesie, ad ejus salutem
& DEI honorem, quisquis in se purum & illibatum deprehendit, quod neque opum cupiditas incendit, neque honorum desiderium inflammavit, neque ulla alia prava cupiditas fovit, adeo ut in Christo abundare & egere possit, Christus ipsi vita sit & mors lucrum; hic demum est, qui ad scopum vocationis hujus & sacrosancti ministerij fertur: in quo dum Domino suo multos lucretur, sat habet, imò abundè dives & honoratus est, reliqua in mundo magna pro rejectamentis habet. De hoc Christi amore, qui in omnibus ejus ovium pastoribus requiritur, tanquam nota characteristica, qua à mercenarijs distinguuntur, suaviter philosophatur August. T. 9. tract. 123. in Johan. Sic amoris (inquit) officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subveniendi & DEO placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties ineulcata ista vox Christi: quos apostolus gemit sua quærere, non quæ Jesu Christi. nam quid est aliud si diligis me, pascè oves meas, quàm si diceretur, Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pascè, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam: Dominum meum, non tuum, lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipfos amantes. Hæc ille: similia sunt apud Chrysost. lib. 2. de sacerdotio: quæ brevitatis studium, ut omittam, imperat. Ad operationes enim & labores hujus muneris proprios, qui tanquam media sunt isti scopo attingendo destinata, properat mea oratio: quibus tum denique maxima ministrorum pars se probe perfunctam autumat, si dominicis diebus lectiones ordinarias quoquo modo concionibus, sive à se elaboratis, sive ab alio prescriptis explicet, & Sacramenta, baptismi ac cænæ, desiderantibus administret. Nec diffiteor, in hisce duobus actionum generibus universos pastorum labores proprios verti: tantum de modo eorum rectè & fructuosè suscipiendorum nonnulla fortè superest dubitatio. ad quam tollendam paucis, quid secundum scripturæ sacræ canones fieri oportere existimem, attingam, &

Primum quid & quomodo in ecclesia doceri, deinde qua ratione clavibus uti, & quibus sacramenta, præcipue illud Cænæ dominicæ, administrari debeat, ostendam. Quid populo proponendum & inculcandum sit, scriptura sermone, ad nutritionis corporalis modum accommodato, lactis & solidi cibi nomine explicat. ut enim illud infantibus, hic adultis præberi solet, ita in educatione & pastione spirituali per baptismum renatis elementa doctrinæ Christianæ tantum, adultioribus verò solidioribus est exhibendus. illam partem institutionis ecclesiasticæ Catechetica scriptura vocat, qua appellatione, qualis esse debeat, describit: nempe quæ non contenta sit sola recitatione & expositione, sive contractiori, sive magis dilatata, sed repetitionem à catechumenis per catechetas sua natura & vi vocis exigat, quam docendi rationem cum sacrae literæ præceptis & exemplis commendat, vetustas veneranda conservavit, quod præter alia, luculentè confirmant, quæ de catechizandis rudibus, apud Aug. & alios exstant; mirum sanè videtur, reperiri inter eos, qui hodie ministri veræ ecclesiæ dici & haberi volunt, & tamen hanc sui muneris partem aut frigide obeunt, aut planè omittunt. Lutherum novimus adeò severe, & quidem ex præscripto sacrae scripturæ, eam exigere, ut qui inter catechumenos hujus rigidioris disciplinæ & tædiosi laboris in discendo sit impatiens, cum excommunicandum & è cætu ecclesiæ exterminandum statuat: an verò diversum statuisset ipsum credamus de doctoribus, qui in eadem urgenda somnolenti sint aut etiam obdormiscant? profecto si quid ius, si quid ratio hic valet, propter quam causam auditor eliminandus, eadem si pastor laboret, nequaquam videtur ferendus. Quid dicam de prisca temporis in V. T. doctoribus pharisæis & scribis, qui, teste Salvatore, terram & maria circumibant inculcando sua dogmata, ut unum facerent profelytum? quid de Sacramentarijs, quos adhibito uno aut altero de presbyterio & urbium præfectis sive curatoribus in singulas suorum domos quotannis penetrare non piget, ut interrogando examinandoque de profectu auditorum in fide & moribus bonis fiant certiores? quid de Jesuitis, quibus ad quoslibet mundi angulos etiam remotissimos excurrere non est grave, ut suæ, quam proficere.

stentur, doctrinae rudimenta studio indefesso & labore assiduo alijs instillent. Ah, quam vereor, ut nimis iusta his omnibus consurgendi causa sit futura, in die illo extremi iudicij decretorio, adversus omnes, qui cum sciunt voluntatem Domini & necessitatem populi Christiani, & tamen neque illam faciendo huic succurrunt. In solido cibo prudenter eligendo recteque distribuendo quæ ratio tenenda sit, non una est omnium sententia. apostolos lectionem sacrarum literarum ex V. T. ad Novi initium conservatam, quæ secundum distinctionem Sabbatorum totius anni facta est, retinuisse, eique exhortationem subjunxisse, testantur exempla scripturæ. Patrum antiquiores an idem institutum tenuerint, non ita liquere arbitror: cum & illius, quam V. T. doctorum & apostolorum fuisse diximus, & hujus, quam nos ab Hieronymi & Augustini temporibus usitata sequimur, exempla non desint in græca & latina ecclesia, idque seculis purioribus. quæ dum imitamur, & ad ædificationem auditorum, qui proximus concionatorum finis esse debet, attendimus, parum moramur. Calvinianorum quorundam rigorem, qui nullas particulas sive pericopas, sed integros libros sacros populo ordine explicandos volunt: nec tamen patrocinamur eorum ignavia, qui se probè perfunctos suo munere autumant, si vel à se collectam, vel ab alio in volumine postillatice præscriptam de suggesto concionem diebus Dominicis recitent. Omnia enim cum ad fructum & utilitatem auditorum revocanda sînt, quæ in his alijsque partibus muneris pastoralis sînt; valde metuendum est, ne hic sine suo frustrentur, qui, quod alij loco, temporis & personis rectissimè quadrat, id suis etiam auditoribus proficuum fore existimant. Qui hortos aut agellos habent, quos sub spe fructus alicujus inde redituri excolant, primum soli naturam explorant; deinde eos ante fodiunt, sarriunt, arant, occant, quàm conferunt: nec semina exotica, unde pulchri flores, fructus exigui vel nulli sperentur, ijs committunt: sed ea sectantur, conquirunt, coëmunt, quæ solo apta & cultori sînt: quæstiosa: nec contenti cultura & sementi jam peracta, quoties licet, excolta consitaque invisunt, plus diligentia & operæ adhibitori, si possent: cumque nequeant, quod humana

opi deesse norunt, id à divina votis & precibus pijs expetunt. Nostros, de quibus agimus, hortulanos, agricolave spirituales, qui sementem convenienter se facere, & uberem messem non falsè ab eo sperare, à quo est omnis benedictio, volunt, primò omnium exploratum habere oportebat universorum & singulorum suæ fidei commissorum captum, & in ijs, quæ ipsi tradiderunt, progressum aut defectum: nec rationem ignorare, qua augmentum provehatur, decremento succurratur, eandemq; fideliter, in omnibus & singulis sequi. Indolem & ingenia singulorum, quantum de doctrina fidei percipere, quantum in vita & moribus Christiano dignis proficere studuerint, cognoscere licet partim publicis in templo examinibus, sive multorum, ut sit in Catecheticis repetitionibus, sive unius, ut in confessione & absolutione, partim privatis visitationibus sive rectè valentium, quo nomine quadrantalis nummi, ut vocant, aliorumq; donariorum pensionem olim introductam fuisse verisimile est: sive malè habentium & ægrotorum: partim deniq; diligenti inquisitione eorum, quæ sunt ab unoquoq; sive sit ecclesiæ aut scholæ minister, sive magistratus, sive subditus, mercator, opifex, agricola, dominus, servus, domina, ancilla, parens, filius, filiave: quomodo quisq; suam vitam componat, qua ratione ipsi cum proximo, cum vicinis alijsve conveniat, quàm rectè communis, quàm probè singularis vocationis personam sustineat. horum exploratio & cognitio optimam & convenientissimam singulorum parochiæ utiliter concionandi materiam & postillam locupletissimam subministrabit, modò ipsi ecclesiastæ sint antè instructi ad omnium necessitati prudenter & rectè succurrendum. sunt enim multi auditorum, etiam ubi satis lacte sibi pasti videntur, qui nullibi minus quàm inter adultos fide censeri moerentur, cum aut sano fidei doctrinæ intellectu & huic conjuncta fiducia destituantur, aut etiam erroneis opinionibus laborent, aut fructum ejusdem nullum edant, similes aut lapidosi sterilibusq; agellis, in quibus nihil bonæ frugis nascitur, aut arenosis, in quibus parum, aut spinosis, in quibus quicquid provenit, mundanis voluptatibus curisve suffocatum, exarescit. Hic omnibus omnia ut fiat noster agricola, singulorumq; fructificationis & sa-

& salutis curam se fideliter suscipere, & quantum potest, per-
cere velle ipso opere demonstrat, quos in doctrinae Christianae
simplici ignorantia haerere animadvertet, ejusdem notitia im-
buet: quos errorum morbo aliquo laborare deprehendet, ab ijs-
dem liberabit; quos steriles in bono, fertiles in malo cogno-
scet, ad officium suum faciendum instruet, instillando virtu-
rum amorem, vitiorumq; odium: quosq; omnino insanabi-
biles, post longam curam & studium, videt, ne sint dedecori
ecclesiae, infirmisve scandalo, & gremio catus sui vel ad tempus,
si se corrigi patientur, vel in perpetuum, si inemendabiles fue-
rint, eliminabit. Singula horum quomodo recte peragan-
tur, ut, siue dogmaticum, siue historicum argumentum tractes,
doctrinam inde tuis auditoribus necessariam & utilem pruden-
ter sumas & aptissime explices; errores, si quos grassari anim-
advertis, solide & fructuose redarguas; virtutum omni gena-
rum semina vel sterilibus hypocritis inferas, vel in languescen-
tibus subinde fidelibus exerceas & provehas; vitiorum radices
evellas, fructus omnes rescindas; jacentes in miseris & tenta-
tionibus afflictos erigas; eaq; omnia perite & decenter, secun-
dum personarum, sexus, aetatis, officiorum, temporis, loci,
modi, aliarumq; circumstantiarum convenientissimam ratio-
nem; id quemadmodum non est hujus loci exponere, ita ut id
ipsum coner, nemo requireret: nec quisquam omnium, ut spero,
futura est; qui, siue locum in ministerio ambiat, siue ambi-
tum adeptus in eo versetur, nisi horum omnium plenissimam
notitiam habeat, & praestandi omnibus suae fidei commissis de-
siderium studiumq; indefessum in se sentiat, semetipsum impa-
rem, ne dicam ineptum, ei muneri hoc ipso agnoscere cogat-
ur. Qui medicinae faciendae in aliquo siue oppido siue
civitate studium praese fert, eoq; nomine se conduci, & phy-
sicum; ut loquimur, ejus loci, in quo medicinam se facturum
spondet, constitui patitur, si tantum lumbricos expellere, lan-
guenti stomacho subvenire, febriculam pellere, catarrhum
sistere, similiaque facilioris curationis expedire norit, diffi-
cilia ignorarit, aut quae ad corporis humani constitutionem,
morborumque in singulis partibus vel in toto grassantium
diffe-

differentiam; signorum, quibus plerique dignoscantur, dijudicationem, & antidotorum remediumque, quibus singuli pellantur, notitiam exactissimè teneat, nec tamen fidem & sedulitatem in morbis profligandis, restauranda confirmandaque sanitate, quam potest & ex officij debito tenetur, præstet, eum omnes malum corporū medicum, & quovis malo dignum clamabunt: quid verò de ijs iudicabunt, qui animarum curatores & medicos spirituales se profitentur, & eorum, quæ scire & facere debebant, vel ignari vel negligentes deprehendentur. Non tantò gravius de his futurum est iudicium, quanto potior est anima corpore, & quanto maius est illius quàm huius enecti damnum? corpus sive imperitia sive incuria medici sui vita privatum, si anima benè curata emigravit, spem certam vitæ æternæ habebit: anima medici sui ruditate aut socordia, in discrimen salutis coniecta, neque ex eo peritioris fideliorisq; ope liberata, omni spe æternæ vitæ & beatitudinis perpetuò carebit. Nullius hominis tanta est ingenij vis, tantave eloquentia, quæ eorum miseriam, qui alterutro modo in hoc, de quo agimus, munere impingunt, intelligere aut exprimere queat: quò æquiores mihi vos omnes futuros spero, si hanc partem tractandam ne quidem aggrediar. accedit hoc loco & tempore publica horum solemnium intra certos horarum terminos peragendorum consuetudo: quæ cum vim legis habeat, violare mihi ejus statuta religio est. absque hoc esset, etiam paucis attingerem, quæ de clavibus regni cælorum rectè usurpandis, aliterque quàm fas est nusquam non usurpatis, dicenda restant: in quo errore, prout meretur, taxando & deplorando quisquis summè necessariam & quàm maximè fructuosam operam sibi sumere volet, haud scio an lacrymarum sat magnam copiam sit habiturus, etiamsi magis quàm Varni urbem hanc alluentis aquæ ipse totus colliquefeat, & quod poëtæ fabulantur de nonnullis, ex homine flumen fiat, si vel solventis abusum in ijs, qui legamine digni erant, vel ligantis, subter nefcio quod scamnum absconditæ, rubiginem dicam, an planè ex plerisque ecclesijs deperditæ, damnum deplorare volet. De ecclesia sui temporis ex Spiritus S. inspiratione clamabat
Esa.

Elaias, Nisi Dominus sanctum aliquod semen nobis reliquisset,
 facti fuissetus ut Sodoma & Gomorrha: de nostris temporibus
 idem verissimè cum dici posset, non modò taceretur, sed omnibus
 citra discrimen, licet pleriq; vel palam profanos tota vita se de-
 clarent, vel non prorsus occultè hypocritas dictis factisq; suis se
 demonstrèt, jus regni cælorû promittitur. Ut tamè præter hoc Ev-
 angelium simili legali concioni non omnis in suggesto locus a-
 demptus videatur, vel in miseros quosdam, adulatium Dominis o-
 diosos, vel in promiscuam turbam aliquando fulmina emittuntur.
 ô tempora! ô mores! hocine est ministrum esse DEi, an homi-
 num? hæccine est fidelitas dispensatoris mysteriorum cælestium,
 si languente capite, ægrotante toto corpore, miserum & afflictum
 pedem, rectius tamen quàm reliqua membra habentem, iniquè
 accusando te curare simules, & quod præ morbi vehementia, in o-
 mnibus venis & arterijs invalescente, mortî proximum est, ne-
 gligas? Sed dum hæc deploro, & alia hujus argumenti capita bre-
 viter attingo verius quàm explico, videre mihi videor duas homi-
 num acies, quæ se mihi opponunt: alteram à dextris, alteram à
 sinistris. In unaquaq; totidem occurrunt militum genera: quo-
 rum illi pietatis aliquam speciem pro gladio usurpant, hi impie-
 tatem meram pro clypeo gestant. Inter pessimos primi sunt, qui
 instar serpentis, intantationem declinare volentis, obturant aures
 animûmq; & alijs, ut idem faciant, persuadere conantur, ne quod
 suæ inscitæ & infidelitati adversatur, in animum cujusquam ad-
 mittatur: qui in suspicionem falsitatis & vanitatis calumniando
 adducere conantur, quod veritas ipsa dictavit & salutare esse
 ipsa experientia multorum seculorum decursu comprobavit.
 quos, quatenus & quamdiu tales, omni congressû & conflictu in-
 dignos, & jam nunc, dum benedictionis in gremio se versari arbi-
 trantur, maledictioni proximos statuo, quæ Væ desuntiat omni-
 bus, qui bonum, idq; divinum, dicunt malum, & malum, idq; hu-
 manum, volunt esse bonum divinum. Hisce proximi astant, qui,
 quarum rerum veritatem ex se æstimare debebant, earum natu-
 ram ex personarum sibi contradicentium infirmitate censerî po-
 stulant. Tu si hîc sis, ajunt, aliter sentias. ego verò neq; me, neq;
 meam, neq; cujusquam mortaliû vitam & mores normam verita-

is & officiorum DEO ejusq; ecclesie debitorum rectè posse statui
arbitror: & vel meo ipsius exemplo, si necesse esset, docere pos-
sem, æquitatem & necessitatem istius sententiæ, quæ antea unum-
quemq; se suo metiri modulo, ac pede jubet, quàm munus susci-
pit, cui se planè imparem præsentit. Inter eos, qui meliores hi-
sce pejoribus videri possint, utros præponam, vix video: sed levi-
oris armaturæ pedites prius aggredi lubet. tales censeo, qui hanc
suam cum inertiam, tum socordiam humanam infirmitatem, cui
veniam scimus, promissam, nominandâ æstimandâq; volunt: quos
ego tam procul à vero aberrare statuo, ut, si humano tantum si-
stendi judicandiq; sint iudicio, causa cadant. nemo enim est sanæ
mentis, inter omnes homines, qui velut infirmitate communi la-
borantem absolnendum iudicet, ignorantia & infidelitatis reum
in ea arte, cujus notitiam & usum salutarem publicè profitetur &
exercendo promittit. nunc verò cum sententia à iudicio divino
solum exspectanda sit; certissimum est, non aliam posse sperari
sive inertibus & ignavis, sive socordibus & pigris, quàm quæ se-
mel lata est per prophetam à summo omnium iudice, quæ & omni
pereunti, & pastori perire quovis modo sinenti æterna abjudica-
tur salus. Horum succenturiati gravioris armaturæ equites su-
per sunt, qui omnem, vel certè gravio rem, rudimenta docendi mo-
lestiam in padagogos, catechetas, patres & matres familias rele-
gatam vellent, ut sibi ignavo otio indulgere liceret; gubernandæ
verò Christianæ vitæ disciplinâ cum privatæ uniuscujusq; consci-
entiæ, tū publicæ magistratus curæ, relinquendâ putât. his enim om-
nibus suum officium faciētibus, persuasissimum habent, nullum
ordinem laboraturum ijs, quæ aut scire, aut facere, aut omittere,
unumquemq; oportet. quibus hætenus assentior, si sibi neq; pe-
culiare quicquam super hos omnes in sui muneris partibus ali-
quando cessantes, neq; communem quodammodo cum iisdem,
ullam rem esse euerint. Nunc cum constet, idem munus eru-
diendi in fide, gubernandi in vita, & quidem præcipuè, ijs omni-
bus & singulis esse commendatum, qui curatores animarum salu-
tari & dici volunt, pro quibus rationem reddituri sint DEO; neq;
ipsi has partes, quamvis laboriosas & difficiles, reiicere in quen-
quam, neq; ad aliorum, quibus earundem partium suo loco &
tem-

tempore peragendarum cura incumbit, inſcitiam aut negligenti-
am connivere aut tacere poſſunt. Qui ſibi pollicetur premiũ
æternum, qui percipit mercedem temporariam, ejuſdem eſt ſubire
laborem & tolerare moleſtiam: quot verò millia hominum repe-
riri putas, qui pædagogorum, parentum, aliorumve inſtitutione
rudimenta fidei imbibierunt: quàm verò longè plures, qui vel pa-
ſtorum ſocordia ea ipſa ignorant, vel, ſi teneant, vitæ & morum
pietate & honeſtate non exornant. Jam da mihi, ſi potes, unum
vel negligentiffimum & rudiffimum omnium, qui, quantos redi-
tus ex ſua parochia annuos percipit, quantos ſibi de liberalitate,
nonnullorum ex auditoribus pollicetur, ignoret. ò perverſam ſci-
entiam! ò intolerandam ignorantiam! lucra ſua domeſtica no-
runt, lucra eccleſiæ, DEO benedicente ſua opera & labore parata,
ignorant, qui tamen horum acquirendorum gratia illa percipi-
unt. Opilioni dinumeratarum ovium una, bubulco jumentum
quicquam, ſubulco de capris, hædis, oviculis, porcellis conceditis
minimus ſi perierit ipſius incuria, damnaſ erit, adeò ut, niſi reſti-
tuerit, compenſare teneatur: tu, ſi multæ myriades hominum à fi-
de & moribus Chriſtianiſ aberrarint, ſeq; in æternam perniciem
conjecerint, indemnem te fore ſperas? quos certe par erat tantò
diligentius paſci, quantò pretioſius ſunt redempti. Exeute quæ-
ſo pauliſper veternum ſecuritatæ, in quo tibi tuæq; quieti nimi-
um indulgendo obdormiſſe videris, & cogita, ſerione ſentias,
omnes homines amore DEI inæſtimabili ab æterno eſſe dilectos,
ſanguine filij ipſius unigeniti redemptos, præconio verbi divini,
Sp. S. operante, illuſtrandos: & hæc tam chara Deo pignora, tam
dulces Chriſti fratres, tam pretioſa Sp. S. templa non tantum æſti-
mas, ut, quam potes, in ijs virtute DEI erudiendis, gubernandis,
conſervandisq; tuam operam, licet aliquanto laborioſiorem, fide-
liter præſtes? Omnes infantes, quotquot ſunt tui catus, cui præ-
es tanquam paſtor, membra, à Sacroſancta trinitate per te tuosq;
anteceſſores alioſve in mortem Chriſti legitime baptizatos cre-
dis: ejuſdem Servatoris noſtri juſticia amictos, ſanctitate ornatos:
plerosq; omnes adultos carne & ſanguine redemptoris noſtri pa-
ſtos: omnes fideles Sp. S. arrhabone obſignatos: hunc theſaurũ
tam inæſtimabilem, quo precioſiorem non habet univerſus mũ-
dus,

Quos, postquam ejus curam in te recepisti, vilipendere, & tamen
 illos, qui hæc dogmata impugnant, damnare potes? vide autem,
 ne quod verum statuis docendo, illud falsitatis redarguas viven-
 do. non enim illi doctrinæ, quam profiteris, hi, quos vita ostendit,
 mores & actiones consentiunt. Sed quid ago, qui dum hi-
 sce luce meridiana clarioribus solem sanerari studeo, vestra
 AUD. in auscultando patientia abutor? ad id, quod hujus solem-
 nitatis caput est, me converto, tibiq; Spectabilis Dn. Decane,
 Dn. collega & frater in Christo colende, quam petis, & quæ hoc
 tempore à Reverendiss. & Ill. Principe ac Domino, Dn. UDAL-
 RICO, hærede Norvvegiæ, duce Slesvicensi, Holsatiæ & Stor-
 mariæ & Dithmarsæ, Administratore episcopatus Syverinensis,
 Comite in Oldenborch & Delmenhorst, Cancellario hujus aca-
 demix dignissimo, & Domino meo Clementissimo, mihi gratiosè
 concessa est, potestas, ea usus tibi facultatem tribuam candidato
 nostro conferendi gradum & insignia Doctorum Theologiæ, ip-
 siq; collegæ nostro eadem accipiendi: quod faciam summa vo-
 luntate, si Dn. Candidatus pro more hujus academix se prius
 juramento solemnè ad fidelem cœlestis doctrinæ custodiam, &
 ad morum sanctimoniam vitæq; integritatem professioni con-
 gruenter obstrinxerit. Tu itaq; minister publice, præto verba
 juramenti usitata.


JURAMENTUM.

Quod igitur faustum & felix esse velit filius DEi, archiepiscopus noster, ec-
 clesiæq; suæ & huic scholæ imprimis utile, ego nomine & auctoritate Ill. Princi-
 pis ac Domini, Dn. UDALRICI, Reverendissimi nostræ academix Cancel-
 larii, quæ in præsentia fungor, te M. JOHANNEM QUISTORPIUM
 Kostochiensem creo & renuncio S. S. Theologiæ Licentiatum, tibiq; potestatem
 facio assumendi gradum supremum in hac eadem facultate, idq; in nomine sacro-
 sanctæ & individuæ Trinitatis, DEi patris, filij & SP. S. quem verum & æternum
 DEum unà cum omnibus, qui adsunt, toto pectore oro, ut mentem tuam splen-
 dore veritatis illustret, animum omnium virtutum ardore inflammet, ad ea co-
 gitanda, meditanda, dicenda & facienda, quæ divini ipsius nominis honori,
 huic academix afflictissimæ & Ecclesiæ ædificationi, tui ipsius & mul-
 torum aliorum saluti inserviant, A M E N.



tempore peragendarum cura incumbit, in scit-
tiam connivere aut tacere possunt. Qui sibi p-
æternum, qui percipit mercedem temporariam
laborem & tolerare molestiam, quot verò mill-
riri putas, qui pædagogorum, parentum, aliorum
rudimenta fidei imbiberunt: quàm verò longè
storum socordia ea ipsa ignorant, vel, si teneant
pietate & honestate non exornant. Jam dà mi-
vel negligentissimum & rudissimum omnium,
tus ex sua parochia annuos percipit, quantos si-
nonnullorum ex auditoribus pollicetur, ignore-
entiam! ô intolerandam ignorantiam! lucra
runt, lucra ecclesiæ, DEO benedicente sua opera
ignorant, qui tamen horum acquirendorum g-
unt. Opilioni dinumeratarum ovium una,
quicquam, subulco de capris, hædis, ovis, po-
minimus si perierit ipsius incuria, damna erit,
tnerit; compensare teneatur: tu, si multæ myriad-
de & moribus Christianis aberrarint, seq; in ate-
conjecerint, indemnem te fore speras? quos cer-
diligentius pasci, quantò pretiosius sunt reden-
fò paulisper veterum securitatis, in quo tibi
um indulgendo obdormivisse videris, & cogit-
omnes homines amore DEI inæstimabili ab ate-
sanguine filij ipsius unigeniti redemptos, præce-
Sp. S. operante, illustrandos: & hæc tam chara
dulces Christi fratres, tam pretiosa Sp. S. templ-
mas, ut, quam potes, in ijs virtute DEI erudiend-
conservandisq; tuam operam, licet aliquanto la-
liter præstes? Omnes infantes, quotquot sunt t-
es tanquam pastor, membra, à Sacrosancta trin-
antecessores aliosve in mortem Christi legitim-
dis: ejusdem Servatoris nostri iustitia amictos; si-
plerosq; omnes adultos carne & sanguine rede-
ptos: omnes fideles Sp. S. arrhabone obsignato
tam inæstimabilem, quo preciosiorem non habet

C. 2



the scale towards document

gen-
miu
bire
epe-
one
l pa-
rum
um
redi-
ate,
sci-
no-
ta,
ipi-
enti
litis
esti-
à si-
em.
ntò
qua-
mi-
ias,
tos,
ini,
tam
esti-
dis,
ide-
oræ-
osq;
cre-
tos:
pa-
urū
mū-
lus,